



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

Cap. I. An in quouis cognoscente requiratur specialis potentia appetitiua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)



LIBER QVINTVS. DE POTENTIA APPETENDI TAM IN COMMVNI, QVAM IN speciali, ac loco mouendi.



QVINQVE distinguit Aristoteles in principio secundi libri de Anima potentiarum animæ genera, ex quibus tria sunt à nobis explicata, scilicet potentia, vegetatiua sensitiua, & intellectiua: superest vt de potentia appetitiua dicamus, atque adeo de potentia motiua secundum locum, quæ cum appetitiua magnam affinitatem habet, de quibus idem Aristoteles indistinctè egit in reliqua parte tertiæ de Anima, methodicè verò Diuus Thomas 1. part. à quæst. 90. & vltra, alijque Scholastici Christiani.

CAPVT I.

Verum in quolibet cognoscente sit necessaria specialis potentia appetitiua.

¹ Dubitandi ratio.

Appetitus naturalis, & elicitus. Concinit disput. 1. Metaph. sect. 6. num. 30

² 1. Affer. eiusque ratio ex D. Thom.

³ 2. Ratio.

Materiam hanc aggredimur à quæstione an est, quoniam appetitus commune aliquid esse videtur animatis, & inanimis: vnaquæque enim res inclinationem aliquam vindicat: appetitus autem, & inclinatio non raro confunduntur, & ideo non est cur hæc potentia specialiter animantibus tribuatur. Vt ergo diuersitatem appetituum breuiter explicemus, est notanda distinctio appetitus in naturalem, & elicito, de quo diximus 1. Physicorum, cap. 8. q. 4. circa quartam materię proprietatem. Appetitus naturalis dicitur quælibet propensio cuiusvis rei in suum proprium bonum, quæ propensio non est proprie appetitus, sed metaphorice, neque est specialis potentia, neque fit per actionem ipsius appetentis, sed est coaptatio naturalis quam quæque res habet cum ea, ad quam ordinatur, vnde talis appetitus non supponit cognitionem, nec fit ab ipso appetente, sed illi datur à natura, & ad proprium commodum tendit: quare appetitus naturales tot multiplicantur, quot sunt diuersæ inclinationes naturales: de hoc ergo appetitu disputatio hoc loco non suscipitur.

Prima conclusio. Præter appetitum naturalem est in re qualibet cognoscente specialis potentia animæ, per quam actu sibi proprio vitaliter appetit. Hæc constat experientia, cuius rationem reddit optimè D. Thomas, quod appetitus sequatur formam, ideoque iuxta diuersum modum, rationemque forme, diuersa ratio appetitus consequatur. Vnde cum inanimate res informantur solum naturali forma, solum habent inclinationem naturalem, consequentem naturalem formam: res autem cognoscentes, cum informantur etiam per cognitionem, etiam aliarum rerum formis intentionaliter superiori quodam modo, suntque res ipsæ cognitæ vitaliter, & intentionaliter, ideo altiore naturæ sunt appetitus, hoc est, vitalem, qui consequitur cognitionem. Quæ ratio alijs etiam modis exponitur: ac probatur secundò. Quia res

Franc. Suarez de Anima.

cognoscentes prius intèdunt propria bona, quam quarant, & exequantur media, quibus illa sunt consequuntur: quo fit, vt in suis operibus cognitione ducantur: necessaria ergo est potentia ad appetenda bona, quæ intendunt consequi, parum enim esset bona intenta cognosci nisi etiam appeterentur. Quare si non daretur appetitus, consecutio plane non daretur: appetitus enim causa est executionis, mediat siquidem inter cognitionem & executionem, cum illam sequatur, & hanc præcedat. Tertio probatur. Res cognoscentes apprehendunt quid necessarium sit toti animali, singulisque eius partibus, vt capiti, pedi, &c. ergo necessaria est vna potentia specialis animæ, quæ hanc cognitionem sequatur, ordineturque ad consequendum bonum, & fugiendum malum totius, ac singulorum partium, in quo differt appetitus naturalis ab appetitu elicito, nam cum appetitus naturalis nihil aliud sit, quam res ipsa, vt inclinata, per se primo tantummodo ordinatur ad bonum particulare sui: at appetitus elicitus specialis potentia est respiciens bonum totius, & singulorum partium: hæc enim de causa animantibus communicatur non nisi secundum gradum cognitionis eorum, vt videbimus, appetitus autem naturales tot multiplicantur, quot sunt res appetitæ. Videatur Caiet. 1. p. q. 10. art. 1. Quarto probatur ex

³ 3. Ratio.

⁴ 4. Ratio.

differentia inter cognoscentes, & non cognoscentes, quod hæc non se mouent proprie, sed potius moueantur, vel saltem ferantur pondere quodam naturali ad perfectiones suas, quando illi careant: at vero res cognoscentes se mouent non solum ex pondere naturali, sed cognitione. Ex qua oritur in eis pondus aliquod, seu appetitus, ratione cuius ad perfectiones non habitas sponte mouentur. Confirmatur vltimo, quia in animali diuersæ sunt potentia, & instrumenta operationum: erit ergo necessaria vna potentia applicans reliquas ad operationes suas, & hæc est appetitus.

Secunda conclusio, quæ ex precedente sequitur, secundum diuersos gradus rerum cognoscendum, sunt etiam diuersi gradus appetituum: Vnde sicut est duplex gradus cognoscensium, scilicet sentientium, & intelligentium, ita duplex est appetitus, sensitiuus scilicet & rationalis, materialis, & spiritalis. Conclusio est omnium Theologorum, & Philosophorum: etenim si cognitio radix est, & origo huius appetitus, ex diuerso genere cognitionis diuersum sequitur genus appetitus. Quod vltius ostenditur, nam appetitus sequens cognitionem sensitiuam, nequaquam superat talem gradum, vnde tantum versatur circa res singulares, ac materias concretas: appetitus autem consequens intellectiuam cognitionem non debet esse ordinis inferioris, quam sit cognitio, ideoque versari potest circa res spirituales, & vniuersales: sunt ergo isti duo appetitus distincti, quorum primus in brutis, secundus in Angelis, & vterque simul in homine reperitur: nam in solo homine inuenitur cognitio sensitiua simul atque intellectiua, & in

R

quali-

qualibet vendicat complementum ei debitum, seu quicquid ex vi utriusque consequitur. Vnde deinde etiam certum est dari in homine hos duos appetitus, quorum repugnantia describitur ad Rom. 7. *Videam aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae*, &c. ad Gal. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, hac enim invicem adversantur*. Matth. 17. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*: alius enim est appetitus, qui abnegat, & alius qui abnegatur. Et c. 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Eccl. 2. *Nec prohibui cor meum, quoniam omni voluptate fruebar*: prohibere enim voluntatis est, voluptas vero appetitus sensitivi. Et capit. 8. *Post concupiscentias tuas ne eas*. Experientia quoque docet talium appetituum distinctionem, nam sensitivo sensibilia prosequimur, rationali supernaturalia, & divina. Notandum tamen, de fide non esse hosce appetitus realiter inter se, & ab anima distingui, hoc enim ad opiniones philosophicas pertinet, sed tantum haberi certum esse nobis potentias ad efficiendos actus utriusque appetitus siue distinctae sint entitates, siue indistinctae: esse tamen entitates distinctas multo verior est, ac fidei conformior sententia.

Item experientia.

Obiect. cont. 1. assert.

Contra secundam.

Ad 1.

Ad 2.

Sed arguet quis primo contra primam conclusionem. Si in omni natura cognoscente datur appetitus elicitiuus, dabitur etiam in Deo, cum ille sit etiam cognoscens. Consequens falsum est, quoniam appetere indigentis est, & carentis bono, quod appetit, unde appetitio imperfectioem superponit. Circa secundam conclusionem etiam arguitur, quoniam superfluum ponitur in homine duplex appetitus, cum unus sit satis ad omnia illa, pro quibus diximus, necessarium esse appetitum. Ad primum respondetur appetitum, ut sic, videri quidem significare desiderium de bono non posset, huiusmodique appetitum non esse in Deo, maxime quantum ad proprium sibi bonum, quantum autem ad bona nostra, solere illi tribui desiderium, sed metaphoricè snagis, quam propriè. Nunc vero appetitum non sumimus eo modo, sed ut significat virtutem amandi vitaliter bonum aliquod: talis porro virtus in Deo est, non à sua essentia distincta, sed ipsa essentia, quatenus seipsam amat, & in proprijs gaudet bonis, ex quo etiam creaturas amat. Ad secundum negatur esse superfluum duplicem aliter appetitum in nobis cum debitum sit naturae nostrae, quae superiora, & inferiora in se quodammodo complectitur, sicut etiam superfluum non est habere duplicem cognitionem, intellectuam scilicet, & sensitivam, quia sensitiva intellectuæ deseruit: ac similiter appetitus sensitivus rationali, ut vehementius afficiatur quod si illi contrariatur, id quoque vtilis est, in exercitium videlicet, & meritum, est quoque utilis, ut prospiciat bonis corporis tanquam illi maxime connaturalibus, voluntas vero quando oportet hunc refrénat, & dirigit.

CAPVT II.

Ut obiectum appetibile debeat necessario esse bonum aliquod.

Negantia pars arg. cum probatione quibus duplici.

Pro negatiua parte arguitur primo. Obiectum potentiae est circa quod potentia elicit actus, sed appetitus non tantum elicit actus circa bonum, sed etiam circa malum: ergo non bonum, sed aliquid abstrahens à malo, & bono est obiectum appetitus. Minor patet primo in actu odij, qui versatur circa malum, ut malum est. Secundo in actu desiderij, quo alteri malum, ut malum est, similiter expetitur. Tercio damnati quidam volunt ea solum ratione, quia contra divinam voluntatem militant, quae est summa peruersitas, ac ratio mali.

Quarto voluntas ad experiendam saltem libertatem suam expetere malum potest sub ratione mali. Quinto damnati maxime vellent non esse, atqui non esse merum malum est: ergo, &c. Secundo principaliter arguitur. Appetitus respicere valet bonum sibi propositum, ut patet experientia, maxime in libero appetitu: potest ergo appetere malum oppositum sibi. Tercio: potest quispiam etiam efficaciter appetere non esse, ut patet de homine se occidente, at vero in non esse nulla potest inueniri ratio boni, cum bonum ipsum esse praesupponat. Quarto appetitus potest ferri circa impossibilia, sed hoc impossibile nulla est ratio boni: ergo, &c.

In hac quaestione opinio Nominalium fuit, appetitum posse ferri in malum sub ratione mali appetendo illud, quamuis specialiter loquantur de voluntate. It. Ocham in 3. d. 13. dub. 3. Gabr. in 2. d. 6. q. 1. a. 3. dub. 20. Scot. vero in 1. d. 1. q. 4. credit non satis probari à theologis voluntatem non nisi bonum velle posse, & in 2. d. 5. q. 2. sentit Angelos potuisse appetere aequalitatem divinam, quamuis iudicarent eam sibi esse impossibilem, & d. 43. q. 3. opinatur peccare ex malitia, nihil esse aliud, quam velle malum, quia malum.

Sit tamen conclusio prima. Obiectum adaequatum appetitus est bonum, vel aliqua boni ratio. 1. Conclusio. Hec habetur ex Aristotele in princ. Ethic. Vnde in 1. d. 3. li. c. 1. illud celebre pronuntiat, quod omnis praeus sit ignorans, eo quod malum admittit sub ratione boni, & 1. 5. c. 8. amabile quidem esse bonum, vnicuique autem proprium: & Senec. 1. 4. de beneficijs, c. 1. scribit, neminem uspiam adeo à legem naturalis discedere, ut animi causa malus sit. De etiam Dionys. de diuin. nomin. c. 4. & 6. Nemo inquit, malum aspiciens operatur, subscribit D. Th. 1. 2. q. 8. artic. 1. & videtur communis animi conceptio, ac primū principium in morali philosophia, nam bonum, & appetibile idem sunt, tantundemque res habet de appetibilitate, ac de bonitate. Hinc prima principia practica extant, omne malum esse fugiendum, & omne bonum esse prosequendum. Ratione arguitur, nam impossibile est appetitum naturalem ad malum dari sub ratione mali, quia semper datur ad perfectionem suppositi, atqui appetitus elicitiuus datus est animantibus ad appetendum modo perfectiori: ergo impossibile est, quod feratur in malum sub ratione mali, quod tantum ad perfectionem suppositi: alioquin res cognoscens essent hac in parte deterius conditionis, quam inanimatae, quae suapte natura in bonum feruntur. Secundo arguitur in inductione. Namque de appetitu sensitivo notum est semper tendere imperfectioem suppositi: ac de eo quidem id omnes admittunt, quia cum naturaliter operetur, semper fertur ex inclinatione naturali, quae cum data sit ab auctore Deo qui summe bonus est, non ad malum esse potest, sed ad bonum sub ratione boni. De voluntate autem idem probatur, ea enim agis, ex nativā propensione, atque vniuersali ad bonum: quando vero fertur ad malum, ideo fertur, quia ratione boni applicat ad particulare, in quo apparet ratio boni, cum verè ibi non existat: procedit ergo etiam tunc sub ratione boni: unde illud,

Quisquis amat Thaidem, Thaidem putat esse Dianam. Tercio arguitur experientia: experimur enim à nobis semper aliquam rationem boni queri in opere quouis, imo & in perditis hominibus deprehendimus eos mala patrare propter bonum aliquod. Quarto quod quis appetit, illud querit, & illo inuento quiescit, ac delectatur: nemo autem querit malum, ut sic, vel acquirit malum eo quiescit, aut delectatur: non ergo illud valet appetere sub ratione mali. Confirmatur: quia malum ex se fugat appetitum, nec in se habet, cur appetatur: omniaque naturaliter vitant sibi malum. Denique nemo potest appetere.